



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Autoritate D. Thomæ probatur nostra veritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quæst. II. Vtrum Deus constituatur, &c. 235

docet ipse Gregorius Nizenus, esse sapientiam & cognitionem, aut visionem diuini intellectus: ergo sapientia, intelligentia, & cognitio Dei non sunt diuina essentia, aut constitutum quidditatum Dei, sed potius attributum ipsius.

SVBSECTIO II.

*Auctoritate D. Thomæ probatur nostra
veritas.*

23 **S**ANCTUS THOMAS expresse docet, diuinam scientiam, aut cognitionem non constituere Deū essentialiter, sed potius esse distinctam ab ipsa essentia, 1. p. q. 14. ibi: post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem ipsius, & quia operatio quædam est, quæ manet in operante, quædam vero procedit in exteriorem essentiam; primo agemus de scientia, & voluntate; nam intelligere est in intelligente, & velle in volente. Ecce verba formata D. Thomæ, ubi manifeste docet, intelligere & velle esse non substantiam, aut quidditatem Dei, sed potius operationem, quæ nostro modo intelligendi fluit ab essentia, & substantia dei, ita tamen fluit, ut non sit operatio transiens, sed potius immanens in Deo, quia vitalis, in quo ait, distinguere Dei, & velle à creatione, quæ non est actio immanens sed transiens, quia fluit à Deo & transit ad creaturas, & concludit D. Thomas, primum sibi agendum esse de intelligere, & velle; deinde de creatione, quia intelligere, & velle manent in Deo, & præsupponuntur necessario ad creationem tanquam causa illius, & hoc quidem post explicata ea, quæ pertinent ad diuinam substantiam, & essentiam, ut patet ex illis verbis, post considerationem eorum, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de his, quæ pertinent ad operationem ipsius, & primo agemus de scientia, & voluntate, &c. Ergo manifeste, & euidenter sequitur in sententia diuini Thomæ, intelligere, sicut & velle, distinguere, & esse aliud ab ipsa diuina essentia, & ab omnibus constitutivis diuinæ essentia, & ideo docet D. Thomas post omnia constitutiva, seu post omnia ea quæ ad essentiam, & substantiam Dei pertinent, se actum esse de intelligere, & velle dei, tanquam de operationibus, quæ fluunt nostro modo concipiendi; sed in sententia D. Thomæ, tum 1. p. tum lib. 1. contra Gentiles, nihil operatur, nisi in quantum est in actu, hoc est in quantum præsupponitur constitutum cōplete in suo esse: ergo in tantum intelligit deus, in quantum præsupponitur adæquate, & ultimo essentialiter constitutus, ac proinde nullo modo constituitur per ipsum intelligere, sicut nec per velle; quia nihil constituitur per id, quod supponit completam constitutionem, & quod sequitur ad illam, ut est operatio.

24 **V**rgetur hoc totum ex ipso Angelico Doctore, q. 1. de potentia, art. 1. ad primum, ibi: essentiam dei non habere principium, etiam secundum rationem, cognitionem vero Dei habere principium secundum rationem. Ecce quomodo docet, cognitionem habere principium, non autem essentiam Dei, quia iudicat cognitionem esse operationem, non vero essentiam; unde aliquod prædicatum concedit per rationem, (scilicet habere principium), cognitioni, quod non concedit essentia; atque ea distinguuntur, de quibus prædicantur affirmatio, & negatio; quia de eodem non possunt duo contradictoria

I. P. Tom. II.

verificari: ergo intelligere, seu cognitio diuina non est essentia, neque constitutum quidditatum Dei; nulla enim substantia constituitur per operationem, quia est, aut concipitur per modum fluxus, sed per prædicatum permanens, & absolutum, quod sit principium operationis, & non operatio ipsa, quod sit radix, à qua fluat operatio; ipsum autem non fluat ab alia radice.

Secundo probatur ex eodem D. Thomæ eadem 1. p. q. 26. art. 2. ibi: [in Deo non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed tantum secundum intelligentiæ rationem.] Quid clarius & euidentius? siquidē expresse docet intelligere dei, licet habeat identitatem secundum rem cum essentia Dei, ac proinde non esse aliud ab illa, nihilominus tamen non habere identitatem, sed potius esse aliud per rationem ab essentia Dei, & inde inferit, beatitudinem, quæ est cognitio, conuenire Deo non secundum rationem essentia, sed tantum secundum rationem intellectus ut loquitur in solutione primi.

Nec satis est, quod aliqui respondent, scilicet à S. Thomæ asseri distinctionem solum rationis ratiocinantis; quia p. Th. eam distinctionem concedit per rationem inter cognitionem & essentiam, secundum quam prædicata contradictoria dicuntur de cognitione, & essentia Dei: atque huiusmodi distinctio non est rationis ratiocinantis, sed rationis, ratiocinantis; quia ea quæ solū distinctione rationis ratiocinantis differunt, non sunt subiecta prædicatorum contradictorie oppositorum, eo quod talis distinctio solum consistat in diuerso modo significandi sine fundamento aliquo; ut quādo distinguimus Petrum à seipso, quia de Petro, & ipso Petro non possumus contradictoria prædicata enunciare, ut enunciamus de intelligere, & essentia Dei; præcipue quia hæc prædicatio, Petrus est Petrus, est identica, & non formalis; hæc autem deus est suum intelligere non est identica sed formalis: ergo euidenter sequitur intelligere Dei, & essentia Dei non solum distinguere distinctione rationis ratiocinantis, sed etiam rationis ratiocinantis. Maior patet, quia S. Doctor docet, deum esse beatum formaliter ratione cognitionis & non ratione essentia; essentia non habere principium, cognitionem vero habere principium, quia est operatio; sed hæc sunt prædicata contradictorie opposita: ergo de diuina essentia, & intellectione prædicantur, & enunciantur illa.

Confirmatur; quia in loco adducto ex q. 26. op. 27 ponit distinctionem rationis soli distinctioni reali, & ait, essentiam, & cognitionem esse idem re, non vero secundum intelligentiæ rationem: ergo solum identitatem realem asserit, nullam vero identitatem rationis.

Dices, D. Th. 1. p. q. 14. art. 1. ad primum, dixisse, 28 scientiam Dei non esse qualitatem, vel habitum, sed substantiam, & actum purum: ergo scientia Dei in sententia D. Thomæ est constitutum diuinæ essentia.

Sed contra manifeste; quia hoc testimonio & loco non intendit probare D. Th. identitatem formalem inter intelligentiam, & prædicata essentialia dei, sed solum intendit ostendere identitatem realem inter naturam dei, & scientiam, eo quod argumento, quod contendebat in deo non esse scientiam; quia non est habitus, sufficienter respondebatur per solum identitatem realem. Deinde art. 4. cum ait, quod intelligere Dei est eius substantia, solum probatur identitas, eo quod scopus D. Thomæ ibi solum erat ostendere, intelligere dei non esse accedens, ad quod sufficit identitas realis. Quapropter immerito asseruntur testimonia hæc contra nos. Porro eadem 1. p. quæst. 54. art. 2. cum concludit corpus articuli

G g 2 h i j

his verbis: [vnde solum esse diuinum est suum intelligere & suum velle,] nulla ratione vult, naturam dei constitui intellectione formalissime, & essentialiter; tum quia eodem modo loquitur de volitione, per quam apud aduersarios etiam constans est non constitui naturam Dei; tum denique quia D. Thomas ibi disquirebat, vtrum intelligere Angelum sit eius esse? & disquisitioni respondet negative; pro quo statuit discrimen inter intelligere Angelum, & intelligere Dei. Ad discrimen autem, seu differentiam sufficientem constituendam, inter intelligere Dei respectu Dei, & intelligere Angelum comparatum cum substantia Angelum sufficit identitas realis; nec requiritur vt natura diuina constitutur per intellectiōem, vt constat.

³⁰ Eodem modo debet interpretari aliud testimonium *quæst. 19. artic. 1.* vbi his verbis finem imponit articulo. [& sicut suum intelligere est suum esse; ita suum velle;] tantum enim abest, vt hæc verba faveant aduersariorum sententiæ, quin potius nostræ sententiæ aperte patrocinentur & contrariam refutet manifeste, quia ita se habet, vt ait D. Thomas ad constitutionem Dei intelligere sicut & velle; atqui velle Dei secundum ipsos aduersarios, & secundum D. Thomam non constituit deum quidditativum, & primario, sed potius secundario, & attributaliter; ergo intelligere dei similiter non constituit deum primario, & quidditativum, sed secundario, & attributaliter, alias nulla esset comparatio inter velle diuinum, & intelligere in ordine ad constitutionem dei.

³¹ Nec magis efficax est testimonium adductum pro se à P. Herize, sumptum ex *1. p. quæst. 14. artic. 4. in corpore, in secunda ratione*, ibi: [cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, vt dictum est ex necessitate sequitur, quod ipsum eius intelligere sit eius essentia esse.]

³² Et ratio est manifesta, quia hic non loquitur de constitutione formali diuinæ essentia sed potius de attributali constitutione; quod patet manifeste ex verbis ipsius Herize, *cap. 4. num. 15. §. hæc cum ita*, vbi sic ait, [colligo ex eo, quod eodem modo vult esse de essentia dei intelligere & esse speciem intelligibilem,] atqui esse speciem intelligibilem non pertinet ad primarium constitutum Dei, sed potius ad attributale, & secundarium: ergo intelligere dei similiter non pertinebit ad primariam & quidditativam constitutionem dei, sed potius ad secundariam: Minor hæc sic demonstratur; quia esse speciem intelligibilem in deo pertinet ad veritatem transcendentalem dei, & ad esse cognoscibile, seu ad esse obiectuum ipsius: atqui veritas dei, cognoscibilitas ipsius, & ratio obiectiva in ipso non est prædicatum quidditativum, & primarium dei, sed potius attributum, & secundarium prædicatum, ac proinde non pertinet ad primariam, sed ad secundariam constitutionem dei: ergo esse speciem intelligibilem in Deo non pertinet ad primariam, sed potius ad secundariam, & attributalem constitutionem. *m. i.*

³³ Maior sic probatur, quia veritas transcendentalis, & ratio obiectiva constitui rem, cuius est veritas, tum in esse obiecti motui, tum in esse obiecti terminatiui; vnde verum, intelligibile, & obiectum, tum mouet potentiam, tum terminat ipsam; atqui esse speciem intelligibilem in deo, seu gerere vicem illius est mouere potentiam intellectuam, vt intelligat ipsum obiectum, quod mouet; quia ad hoc dirigitur munus speciei impressæ, vt ita vniatur cum potentia, vt potentia cognoscat obiectum: ergo esse speciem

intelligibilem in deo pertinet ad veritatem & cognoscibilitatem diuinam. Quod patet ex creatis; nam ideo obiectum in creatis mittit speciem impressam in potentiam, & c. quia est cognoscibile, & est verum transcendentialem; nam si non esset verum, aut cognoscibile, non posset mittere speciem & ipse Deus, quando gerit vicem speciei impressæ in patria exercet tale munus, vt intelligatur, & videatur à beatis; quare tunc exercet quando ita mouet intellectum, vt cum illo producat visionem sui, & cognitionem intuitiuam ipsius; in quo se habet Deus, vt obiectum cognoscibile: ergo esse speciem impressam in deo pertinet ad intelligibilitatem, & veritatem diuinam.

Minor illa est euidentis in sententia omnium, quia ³⁴ veritas transcendentalis, seu cognoscibilitas, vt late supra demonstrauimus, non est quidditativum constitutum, sed potius attributum entis: ergo veritas & intelligibilitas dei est attributum, & non primarium, ac quidditativum constitutum dei; quia eo modo conuenit formalitas inferiori, quo conuenit eadem superiori, & ideo risibilitas non est constitutum essentialiter Petri, quia non est constitutum essentialiter hominis, & c. ergo si veritas non est quidditas entis non erit prædicatum quidditativum dei, sed potius attributum ipsius, & ratio à priori est, quia ideo est aliquid cognoscibile, quia est, & non è contra, ideo est, quia est cognoscibile: ergo esse speciem impressam in deo non pertinet ad primariam, & quidditativam constitutionem dei, sed potius ad secundariam; vnde falsum erit id, quod asserit Herize illis verbis; [si natura diuina habet rationem speciei intelligibilis, aliquomodo, eam habet per naturam, non per aliquod identificatum naturæ,] vt patet ex dictis.

³⁵ Euidentius virgo aduersarios, quia species intelligibilis ideo datur, vt producat intellectiōem, seu intelligere: cum intellectu, respectu cuius est species impressa; sed D. Thomas asserit essentiam diuinam esse speciem intelligibilem in ipso deo, vt patet ex illis verbis: [cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, vt dictum est:] hoc est modo nostro intelligendi: ergo euidenter sequitur ex D. Thoma essentiam diuinam nostro modo intelligendi producere suum intelligere, sed nulla essentia producit suum vltimum constitutum, alias idem à seipso produceretur, quia quiddid producit vltimum, ac formale constitutum alicuius, producit constitutum per illud, vt late probo *disputat. sequenti*, agendo de actu libero Dei contra eos, qui constituunt ipsum per connotatum creatum ratione prima.

Ergo intelligere Dei non est formalissimum, & ³⁶ vltimum constitutum diuinæ essentia, quæ expositio quadat optime cum locis supra citatis, ex *q. 14. 1. p.* vbi ait intelligere esse operationem prouenientem ab essentia secundum rationem, & ex *q. 1. de potentia artic. 1.* vbi ait: [essentiam Dei non habere principium etiam secundum rationem, cognitionem vero Dei habere principium secundum rationem,] videlicet quia procedit ab intellectu diuino & ab essentia diuina vt ab specie impressa, diuino & ab essentia diuina vt ab specie impressa. Tandem locus ille ex *q. 8. D. Thomæ citatus à P. Herize §. secundum testimonium*, confirmat id quod diximus; nam sicut nos expellimus actualem intelligere à constitutione primaria, & quidditativa Dei, ita similiter reiciamus ab eadem constitutione actualem viuere Dei: ergo nullus locus reuertitur in D. Thomam qui faveat aduersariis, cum omnia pro nobis sint; sed clarius docuit nostram veritatem ipse Angelicus Doctor *eodem 1. part. q. 14.*

9. 14. art. 4. ibi: Sicut esse sequitur formam, ita intelligere sequi speciem intelligibilem, & in Deo non esse aliam formam, & speciem præter essentiam diuinam: Ergo sensus expresse intellectio- nem Dei non esse ipsam essentiam Dei, sed aliquid consequutum ad ipsam, hoc est operationem nostro modo intelligendi fluentem à diuina essentia, tanquam ab specie impressa & intentionali; quam sententiam etiam vt discipulus fidelissimus D. Thomæ sequitur eximius noster doctor P. Franciscus Suarez nostræ Societatis lumen, & vt inquit P. Herize nostri sæculi orbe plaudente communis magister in metaphys. tom. 2. disp. 20. sect. 15. num. 13. vbi sic ait: nam intellectio diuina non solum habet illud perfectionis, quod nos intelligimus in intellectu vt sic, sed habet totam perfectionem, quæ est in intelligente; nam ita est intellectio, vt sit ipsa substantia intelligens, in qua esse intelligimus, & vim penetrandi seu intruendi obiectum intelligibile, & rationem aliquam continendi intentionali, seu intelligibili modo res cognitæ.

Rursus duobus modis potest aliquid à nobis concipi per modum actus primi, vno modo ex parte obiecti, & positiue tribuendo illi formalem rationem actus primi, & hoc modo non tribuitur Deo, alio modo tantum ex parte intelligentis, præscindendo solum vnā rationem ab alia, & hoc modo nos dicimus concipere in Deo aliquid per modum actus primi, concipimus enim in Deo esse vim intelligendi, præscindendo ab actuali intellectu, & ab hoc quod illa vis sit actiua, vel ipiomet formalis actus, & similiter concipitur esse in Deo sufficiens ratio ad repræsentandum intentionaliter omnia obiecta intelligibilia, præscindendo ab hoc quod formaliter, seu actualiter repræsentet. Atque hoc satis est, vt sine falsitate, vel attributione imperfectionis dicatur aliquid concipi in Deo per modum actus primi. Neque quoad hoc est æqualis ratio de intellectu creatæ, quia hæc non includit omnem perfectionem, & virtutem, quæ ad intelligendum requiritur, quam tamen includit, vt diximus intellectu increata, & num. 15. prope finem, sic ait, quocirca quando concipimus Deum præcise vt existentem, & non vt intelligentem, illa est vera conceptio, quia non excludimus, nec negamus, sed solem ab explicita, & distincta consideratione præscindimus. In quibus verbis aperte continetur veritas nostræ conclusionis, maxime conformis locis supra adductis ex D. Thomæ; nam P. Suarez nostro modo concipiendi, & secundum rationem nostram tria posse concipi ait, & præscindi inter se in Deo: Primo vim perceptiuam, & intellectuam obiecti: Secundo speciem intentionalem: Tercio intelligere, seu intellectio- nem: ergo modo nostro concipiendi ex verbis P. Suarez intelligere Dei fuit à vi perceptiua seu intellectu diuino, & ab specie intentionali, quæ nihil aliud est, quam ipsa essentia Dei; nam vis intellectiua & species impressa ad hoc constituuntur, vt eo modo, quo fuerint, producant intellectu- tionem; vnde si non producant, neque ordi- nantur ad eliciendam intellectio- nem, superflue constituuntur in Deo; atqui vt supra dixi, essentia diuina non potest constituere suum vltimum consti- tutiuum propter rationes iam suprapositas; ne- que essentia diuina, quæ adhuc nostro modo con- cipiendi est permanens, & omnino absoluta, debet constitui oer operationem; quia illa per modum fluxus à nobis consideratur, qualis est intelle- ctio, aut intelligere diuinum: ergo intelligere, aut

intellectio diuina secundam mentem eximij Do- ctoris non potest formaliter, & quidditative con- stituere diuinam essentiam.

Deinde P. Suarez cognoscit in verbis relatis actum primum ratione nostra respectu intelle- ctionis actualis: ergo necessario cognoscit vitam intellectualem per modum actus primi, ratione præcedentem actualem intellectu- tionem; ita vt à nobis concipiatur veluti radix actualis intelle- ctionis, & cum ex alia parte nullam in eo actu primo Pater Suarez percipiat imperfectionem, propterquam repugnet formaliter eam esse in Deo, alias non attribueret Deo eum actum pri- mum, si existimaret formalem eius conceptum non posse absolui ab imperfectione, necesse est vt actus ille primus vitæ intellectualis, vt est ra- tione præcedens, & veluti radix actualis intelle- ctionis sit primum metaphysicè constitutiuum diuinæ naturæ: ergo intellectio actualis pertine- re non potest ad primariam constitutionem na- turæ diuinæ, sed ad secundariam ex alia priori deriuatam; vnde vt volitio respectu intellectu- tionis pertinet ad secundariam constitutionem, ita intel- lectio respectiue ad illum actum primum erit ve- luti secundaria ratio spectans ad solam Dei phy- sicam constitutionem, neque hæc verba P. Suarez opponuntur iis, quæ docet num. 15. vt male cogi- tauit Herize; nam num. 15. loquitur de constitu- tione Dei ex parte ipsius, & quatenus se tenet illa ex parte obiecti, & hoc modo, asserit, intellectu- nem esse constitutiuam diuinæ essentia, verba autem super citata ex num. 13. loquuntur de con- stitutione diuina ex parte modi nostri concipien- di, & ideo modo nostro concipiendi tribuit Deo Pater Suarez actum primum, & actum secundum intellectu- tionis, quod quidem negauit ex parte ip- sius obiecti, vt patet ex illis verbis; Rursus duo- bus modis potest aliquid à nobis concipi per modum actus primi, vno modo ex parte obiecti, & positiue tribuendo illi formalem rationem actus primi & hoc modo non tribuitur Deo, vt recte probant argumenta facta: alio modo tan- tum ex parte intelligentis præscindendo solum vnā rationem ab alia, & hoc modo nos dicimus concipere in Deo aliquid per modum actus pri- mi. Concedere autem intellectu- tionem constitue- re Deum ex parte obiecti, hoc est à parte rei, & negare intellectu- tionem constituere ex modo no- stro concipiendi, nullam contradic- tionem & op- positionem inuoluit; sicut concipere attributa di- uina identificata ex parte obiecti, & distincta ex modo nostro concipiendi nullam contradic- tionem inuoluit, vt tota Theologia docet & mani- feste demonstratur in multis aliis exemplis.

Vltimo probatur hæc veritas autoritate Ari- stotelis lib. 12. met. cap. 7. à textu 36. vbi cum di- xisset esse aliquid æternum, quod non motum mouet quodque substantia, & actus sit, deinde docuit, intellectu- tionem in hoc æterno esse actum secundum, & intelligibile esse principium illius à quo fluat intellectu- tio: ergo intellectu- tio non est constitutiuum Dei, quia constitutiuum Dei non concipitur vt actus secundus fluens ab aliquo principio, & tanquam operatio, eo modo quo ponitur intellectu- tio diuina ab Aristotele.